



- Texte : *Harrius Potter et Camera Secretorum* –

J. K. Rowling (1998) - Traduction Peter Needham (2007)



- CAPUT PRIMUM -

Dies Natalis Pessimus

rixa, res non insolita, inter ientaculum orta erat in aedibus Gestationis Ligustrorum numero quattuor signatis. Dominus Vernon Dursley horis matutinis expergefactus erat gemitu magno e conclavi Harrii, filii sororis uxoris, exorto.

'ter hac hebdomade factum est !' trans mensam infremuit. 'nisi potes strigem illam cohibere, ei abeundum erit!'

Harrius conatus est denuo rem explicare.

'*taedio* confecta est,' inquit. 'solet foris circumvolare. si modo mihi liceat eam noctu emittere...'

'an videor stultus esse ?' inquit Avunculus Vernon hirriens, frusto ovi fricti de mystace fruticoso pendente. 'scio quid eventurum sit si strix illa emissa sit.'

aciem ambiguam in uxorem Petuniam direxit et illa in eum. Harrius conatus est redire ad causam, sed verbis eius obstrepuit ructus longus et magnus ex ore Dudley, filii Dursleorum, emissus.

'plus laridi volo.'

'plus est in sartagine, melculum,' inquit Amita Petunia, oculis nebulosis in filium ingentem conversis. 'saginandus es nobis dum occasionem habemus ... quod dicunt de cibo illo scholastico non mihi placet ...'

'nugas, Petunia! ego nunquam esuriebam dum discipulus eram Scholae Smeltings,' inquit Avunculus Vernon vehementer. 'Dudley satis habet. nonne, filii ?'

Dudley, qui tam amplus erat ut nates supra utrumque latus sellae culinae lapsae sint, subridens ad Harrium conversus est.

'da mihi sartaginem.'

'verbi magici oblitus es,' inquit Harrius stomachose. incredibile erat quod familia reliqua passa est cum hanc sententiam simplicem audirent : Dudley anhelavit et de sella decidit cum fragore qui culinam totam tremefecit ; Domina Dursley ululatum parvum edidit et manus ori admovit ; Dominus Dursley saliens surrexit, venis temporum palpitantibus.

'volui "sodes" dicere !' inquit Harrius celeriter. 'nolui dicere -' 'QUID TIBI DIXI,' intonuit avunculus, mensam sputo spargens, 'DE UTENDO ILLO M-VERBO IN DOMO NOSTRA ?' 'at ego -'

'NUM DUDLEO MINARI AUDES?', infremuit Avunculus

Vernon, mensam pugnis pulsans.

'ego modo-'

'TE ADMONUI. MENTIONEM HUIUS INSOLENTIAE TUAE SUB HOC TECTO NON TOLERABO!'

Harrius oculos vertit ab ore purpureo avunculi ad amitam pallidam, quae vi usa conabatur cogere Dudleum se attollere. 'sit ita,' inquit Harrius, 'sit ita ...'



Avunculus Vernon resedit, spiritus ducens haud aliter ac rhinoceros anhelans et Harrium accurate spectans ab extremis oculis parvis et acutis.

ex quo Harrius domum rediit ad ferias aestivas agendas, Avunculus Vernon eo usus erat sicut pyrobolo iam iam explosuro, quod Harrius non erat puer usitati generis. re vera, non poterat esse generis inusitatoris.

Harrius Potter erat magus - magus qui nuper confecerat annum primum in Schola Hogvartensi Artium Magiearum et Fascinationis. et si Durslei animis invitis eum tempore feriato receperant, Harrius animo multo invitio ad eos redierat.

desiderium Scholae Hogvartensis non aliter eum cruciabat ac dolor ventris continuus. castellum desiderabat cum transitionibus secretis et simulacris, studia sua (quamquam potest fieri ut Snapem, magistrum Potionum, non admodum desiderabat), epistulas a strigibus redditas, dapes in Atrio Magno consumptas, somnum in turre dormitoria captum in lecto quattuor postibus instructo, saltuarium Hagridum, quem visitabat in casula sita in campis iuxta Silvam Interdictam, et praesertim desiderabat

Quidditch, ludum maxime amatum ab hominibus magicis (postes sex alti, quattuor pila volantia, quattuordecim lusores in scoparum manubriis vecti).

libri incantamentorum Harrii, baculum, vestes, lebes, scoparum manubrium Nimbus MM, quo non erat genus praestantius, haec omnia in armarium sub scalis situm ab Avunculo Vernon conclusa erant simulac Harrius domum rediit. nihil enim Dursleorum intererat num Harrius locum in turma domestica ludi Quidditch ideo amissurus esset quod tata aestate se non exercuisset. nihil Dursleorum intererat num Harrius ad scholam rediturus esset pensis scholasticis omnino neglectis. Durslei erant inter illos homines a magis Muggles appellatos (guttam nullam sanguinis magici in venis habebant) et sententia eorum erat turpissimum magum in familia habere. Avunculus Vernon etiam strigem Harrii, Hedvigam, sera pensili usus in caveam incluserat, ne illa nuntios ad aliquem magicum ferret.

Harrius haudquaquam similis erat ceterae familiae.

Avunculus Vernon, vir amplus, nullum collem habebat et mystacem ingentem et nigrum; faciem equinam et corpus macrum habebat Amita Petunia; Dudley erat flavus, rubicundus, porcinus. Harrius autem erat parvus et exilis, oculis viridibus et splendentibus, crinibusque nigerrimis et semper incomptis. perspecilla rotunda gerebat et in fronte erat cicatrix tenuis et fulguri similis.

quae cicatrix propter novitatem admirationem maximam movebat etiam inter magos. nam cicatrix erat signum solum rerum arcanarum quae tempore praeterito Harrius passus erat et causae cur undecim abhinc annos in limine Dursleorum relictus esset. unum annum natus Harrius nescio quo modo executioni superfuerat ducis Voldemortis, incantatoris post hominum memoriam artibus nigris celeberrimi, cuius nomen plerique magi magaeque adhuc dicere timebant. parentes Harrii in impetu a Voldemorte facto interfecti erant, sed Harrius cum cicatrice fulgurali effugerat et nescio quo modo - nemo causam intellexit - potes tas Voldemortis deleta erat eo ipso momento ubi frustra Harrium oppugnavit.

itaque a sorore matris mortuae et marito eius Harrius educatus erat. decem annos cum Dursleis vixerat, nunquam intellegens cur saepe se invito auctor esset rerum mirarum, ei fabulae confidens Dursleorum se cicatricem accepisse in collisione autocinetorum quae parentes interfecerat.

et tum, unum ipsum abhinc annum, Harrius acceperat epistulam a Schola Hogvanensi missam, et res tota patefacta erat. Harrius in scholam magicam admissus est qua ille et cicatrix celebres erant ... sed nunc annus scholasticus finem habuerat et redierat ut aestatem cum Dursleis ageret, redierat ad homines qui eum haud aliter tractabant quam canem qui in re male olenti se involverat.

Durslei ne memores quidem fuerant hodie forte esse diem natalem Harrii duodecimum. scilicet non multum speraverat; nunquam donum verum ei dederant, ne dicam placentam - sed diem omnino ignorare ...

eo momento, Avunculus Vernon tussiculam sollemniter edidit et inquit, 'iam, ut omnes scimus, hodie est dies maximi momenti.'

Harrius suspexit, vix ausus id credere.

'potest fieri ut hodie negotium maximum vitae totius conficiam,' inquit Avunculus Vernon.

Harrius ad panem tostum rediit. scilicet, cogitabat acerbe, Avunculus Vernon de cena illa stulta loquebatur. proxima hebdomade nihil aliud in ore habuerat. redemptor nescio qui dives et uxor ad cenam veniebant et Avunculus Vernon sperabat eum a se plurima empturum esse (societas Avunculi Vernon terebras fecit).

'puto nobis ordinem rerum iam denuo percurrendum esse,' inquit Avunculus Vernon. 'debemus omnes in statione esse octava hora. Petunia, tu eris ... ?'

'in exedrio,' inquit Amita Petunia statim, 'expectans ut cos benigne apud nos accipiam.'

'bene, bene. et Dudley?'



'expectabo ut ianuam aperiam.' Dudley risum induit taetrum et ineptum. 'an licet mihi pallia vestra sumere, Domine et Domina Mason?'

'eum amabunt,' clamavit Amita Petunia laetitiae plena. 'optime, Dudley,' inquit Avunculus Vernon. tum ad Harrium conversus est. 'et tu?'

'ero in cubiculo meo, strepitum nullum faciens et simulans me non adesse,' inquit Harrius voce surda.

'ita vero,' inquit Avunculus Vernon maligne. 'in exedrium eos ducam, te introducam, Petunia, potum eis offeram. hora octava et quadrante -'

'nuntiabo cenam paratam,' inquit Amita Petunia. 'et Dudley, tu dices -'

'an licet mihi te in triclinium ducere, Domina Mason?' inquit Dudley, bracchium crassum feminae invisibili offerens. 'homunculus meus absolutus et perfectus!' lacrimas naribus captavit Amita Petunia.

'et tu?' aspere inquit Avunculus Vernon Harrio.

'ero in conclavi meo, nullum strepitum faciens et simulans me non adesse,' inquit Harrius languide.

'recte sane. iam laudes nonnullae nobis inter cenam inducendae sunt. an tu aliquid comminisci potes, Petunia?' 'Vernon mihi dixit te in ludo Caledonico eminere, Domine Mason ... dic, sodes, ubi vestem illam emeris, Domina Mason .. .'

'euge ... Dudley?'

'quid sentis de: "in schola libellus nobis scribendus erat de heroe nostro, Domine Mason, et ego scripsi de te .. ."'

hoc nimium erat et Amitae Petuniae et Harrio. Amita Petunia subito lacrimas effundit et filium amplexus est, Harrius autem sub mensam descendit ne se ridentem viderent.

'et tu, puer?'

Harrius emergens gravem ostendere vultum nisus est.

'ero in conclavi, nullum strepitum faciens et simulans me non adesse,' inquit.

'non hercle erras,' inquit Avunculus Vernon magna cum vi. 'Masones nihil de te sciunt et sic manebit. cena confecta, tu, Petunia, Dominam Masonem in exedrium reduces ad potionem caefariam sumendam, et ego de terebris loqui incipiam. si fortuna bona utemur, instrumentum erit subscriptum et signatum ante *Nuntios Decimae Horae*. cras eadem hora villam voluptariam in maiore insula Baleari quaeremus.'

Harrius non poterat nimis laetari de hoc. non putabat Dursleos se magis in maiore insula Baleari amatuos esse quam in Gestatione Ligustrorum.

'bene habet - in oppidum ibo ut vestimenta festiva mihi et Dudleo colligam. et tu,' inquit Harrio hirriens, 'ne amitam impediveris dum munditias facit.'

Harrius per ianuam posticam abiit. caelum erat splendidissimum, luce solis plenum. pratum transit, in scamnum honensium delapsus est, submissim cecinit, 'felix natalis mihi ... felix natalis mihi ...'

chartae nullae, dona nulla, et vesperem acturus erat simulans se non esse. tristis in saepem oculos direxit. nunquam se tam solum senserat. plus quam quidquam aliud in Schola Hogvartensi, plus etiam quam ludum Quidditch amicos optimos Ronaldum Vislium et Hermionem Grangeram desiderabat. illi autem haudquaquam eum desiderare videbantur. neuter eorum tota aestate ei scripserat, quamquam Ronaldus dixerat se Harrium invitaturum esse ut apud se maneret.

saepenumero Harrius caveam Hedvigae arte magica reseraturus et eam ad Ronaldum Hermionemque missurus fuerat, sed nimis periculosum erat. magis minoribus aetate legitima non licebat extra scholam arte magica uti. quod Harrius Dudleis non dixerat; sciebat eos solum timore ne se omnes in scarabaeos stercorarios mutaret impediri quominus se ipsum in armarium sub scalis situm eum baculo et manubrio scoparum includerent. domum regresso primo semes trio Harrio placuerat verba inepta submissim murmurare et spectare Dudleum cruribus crassis e conclavi quam celerrime ruentem. sed propter silentium longum Ronaldi et Hermionis sensit se adeo intercludi a mundo magico ut iam ne Dudleum quidem laces sere gauderet - et nunc Ronaldus et Hermione diei natalis eius obliti erant.

quid nunc non reddat pro nuntio a Schola Hogvartensi misso? a mago aut maga qualibet? paene ei placeat conspiciere Draconem Malfonem, puerum maxime sibi invisum, dummodo pro certo habeat haec omnia non somnium fuisse.

nec tamen totus annus in Schola Hogvartensi iucundus fuerat. ad finem ipsum termini proximi Harrius obviam ierat, mirabile dictu, Voldemorti ipsi. quamquam Voldemort erat modo ruina personae prioris, tamen erat adhuc formidolosus, adhuc subdolos, adhuc anima intento ad potentiam recipendam. Harrius manus Voldemortis iterum effugerat, sed aegerrime factum erat, et nunc etiam, post multas hebdomadas, Harrius saepe noctu experrectus est, sudore frigidum madefactus, anima seeum volvente ubi Voldemon nunc esset, memor vultus lividi et oculorum latorum et insanorum ...



Harrius subito se in scamno hortensio erexit. in saepem anima parum attento spectaverat - et saepes respiciebat. inter frondes apparuerant duo oculi virides et immanes.

Harrius saliens surrexit tum ipsum cum vox irridens trans pratum fluitavit.

'scio qui sit dies,' cecinit Dudley, ad eum anatis modo incedens.

oculi ingentes nictum fecerunt et evanuerunt.

'quid?' inquit Harrius, oculis suis loeum aduc observans ubi illi fuerant.

'scio qui sit dies,' iteravit Dudley, proXime ei appropinquans. 'gratulor tibi,' inquit Harrius. 'itaque tandem nomina dierum didicisti. '

'hodie est dies natalis tuus,' inquit Dudley per ludibrium. 'cur chartas nullas habes? an amicos nullos etiam in loco illo monstruoso habes?'

'melius sit si tu non permittas matri audire te loquentem de schola mea,' inquit Harrius imperturbatus.

Dudley sursum traxit bracas, quae de natibus crassis delabebantur.

'cur in saepem spectas?' inquit suspiciosus.

'cogito quo incantamento eam facillime incendam,' inquit Harrius.

Dudley statim retro titubavit, pavorem vultu obeso praeferens. 'non p-potes - Paterculus te vetuit arte magica uri - dixit se te domo expulsurum esse - nec habes locum alium quo eas nullos arnicas habes qui te accipiant -'

'fallacias praestigias!' inquit Harrius voce feroci. 'hocus pocus - squigglum vigglum .. .'

'MAAAAAATER!' ululavit Dudley, pedes suos offendens dum domum cursu redit. 'MAAAAAATER! id quod scis facit!'

Harrius momentum iucundum maxima emit. eum nec Dudley nec saepes quidquam mali passi essent, Amita Petunia sciebat eum non re vera arte magica usum esse, sed nihilominus caput ei submittendum erat cum illa plagam gravem in eum sartagine spumea dirigeret. tum pensas ei dedit, pollicita eum non ante cibum accepturum esse quam eas confecisset.

dum Dudley iacet otiosus spectans et sorbitiones gelidas edens, Harrius fenestras mundavit, autocinetum lavit, pratum secuit, areas floriferas purgavit, rosas deputavit et irrigavit, scamnumque hortensium repinxit. sol superne ardebat, urens collum aversum. Harrius sciebat sibi non respondendum fuisse conviciis Dudlei, sed Dudley id ipsum dixerat quod Harrius ipse putaverat... forsan re vera nullos in Schola Hogvartensi amicos habebat.

'utinam nunc possent videre Harrium Potterum istum!' saeviter cogitavit, stercus in areas floriferas spargens, tergo dolente, sudore de vultu fluente.

vespere septima hora et dimidia tandem audivit Amitam Petuniam se labore confectum arcessentem.

'huc veni! et plantas insiste in acta diurna!'

Harrius in umbram culinae splendentis libenter se contulit. in summo armario frigidario stabat mensa secunda cenae huius nocturnae: mons ingens cremae spumosae et violarum saccaratarum. in furno sibilabat caro suis assi.

'es celeriter! Masones mox aderunt!' voce mordaci inquit Amita Petunia, digito monstrans duo segmenta panis et massam casei in mensa culinae positam. vestem elegantiolem iam gerebat colore salmonis rubentis.

Harrius manus lavit et cenulam miseram devoravit. simulac finem fecit, patellam Amita Petunia eripuit. 'sursum! festina!'

cum ianuam sessorii praeteriret, Harrius Avunculum Vernon et Dudleum focalia nigra et vestimenta festiva gerentes vidit. modo pervenerat ad tabulatum superius cum tintinnabulum exterius sonuit et vultus furiosus Avunculi Vernon in scalis imis apparuit.

'memento, puer - sonitus unus ... '

Harrius suspenso gradu ad cubiculum transiit, intus lapsus est, ianuam clausit seque convertit in lectum collapsurus.

id tamen non facere poterat quod aliquis iam in eo sedebat.